



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directio-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii**

**Acquaviva, Claudio**

**Ingolstadii, 1592**

**VD16 A 125**

Prooemivm,de dignitate & vtilitate exercitiorum, & de neceßitate  
directorij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)



PRO O E M I V M

DE DIGNI-  
TATE, ET UTILI-  
TATE EXERCI-  
TIORVM,

ET DE NECESSITATE  
DIRECTORII.

**I**NTER alia instrumenta,  
quæ Deus pro sua bonita-  
te, ac clementia, Societa-  
ti nostræ, tum ad propri-  
am, tum ad proximorum salutem, per-  
fectionemque procurandam largiri di-  
gnatus est, non postremum locum ha-  
bent spiritualia exercitia. Hæc enim  
sunt spiritualia quedam documenta,  
quæ ut in huius libri præfatione dicitur,

A 3

1802

non tam ex libris, quam ex unctiōe Spiritus sancti, & ex interna experientia, & usu, noster in Christo Pater Ignatius composuit. Hæc sunt lumina, quæ ei Dominus in ipso primo conuersionis feruore inspirauit, ac deinde in omni progressu eius virtutis, & sanctitatis semper confirmauit. Quemadmodum igitur Dominus Deus ideam totam Societatis nostræ, tum exteriorem, tum etiam quæ ad interiorem virtutum formam pertineret, ei tanquam capiti, & fundatori communicauit, ita etiam, cum oratio, & communicatio cum Deo sit tanti momenti, ut magna ex parte religiosa obseruantia, ac spiritualis profectus ex ea pendeat, plurimum referebat habere hanc methodum & directionem ad orationem faciendam ab eodem Capite nostro, quàm nos quoque omnes sequeremur, & præ oculis semper habere conaremur.

Atque hæc causa est, cur ipse P. N. Ignatius in omni sermone, ut accepimus, et uero praxi ipsa tantopere nostris

com-

commendare soleret usum horum exercitiorum; ac in Constitutionibus quoque tam crebro eorum mentionem faciat, & praesertim parte 4. c. 8. §. 5. ubi dicitur, omnes operam dare debere, ut in hoc armorum spiritualium genere tractando, quod tantopere conferre cernitur ad Dei obsequium, dexteritatem habeant. Extat etiam eius epistola ad Sacerdotem quendam Mionam nomine, qui Parisiis fuerat eius Confessarius, in qua satis manifeste ostendit, quid ille sentiret de his exercitiis. Monet enim eum atque etiam instanter rogat, ut ea faciat diligenter, & si fecerit, promittit ei magnam utilitatem spirituale, tum in se ipso, tum ad alios quam plurimos inuandos, idque verbis valde grauibus, & significatibus.

Idem vero testimonium dederunt alij, & plurimi, & quidem insignes viri, & doctrina, & virtute, & rerum humanarum experientia, ac praecipue etiam spiritualium peritia, qui cum hac exercitia re ipsa experti essent, ita ea proba-

A 4 rant.

runt, ut illorum usu maiorem quam sperare ausi essent, suarum animarum fructum se consequutos esse tum verbo, tum scripto libenter predicarent. Sed pra omnibus est auctoritas Sedis Apostolica, qua diligēti examine doctorum virorum praemisso hac exercitia approbavit anno M. D. XLVIII. ut pietate, & sanctitate plena, (haec enim sunt eius verba) et ad edificationē spiritualēque fidelium profectum valde utilia.

Postremo est etiam ipsa experientia ingentis, ac prope incredibilis utilitatis, qua ex his exercitiis faciendis subsequi solet. Primum enim plurimi ex nostris, praesertim primis temporibus, hoc modo spiritum vocationis acceperunt; ut vere dici possit Societatem nostram hoc maxime medio, & initio coaluisse, & postea incrementum accepisse. Deinde plurimi etiam alij relicto mūdo alios religiosos ordines ingressi sunt, multi iam ingressi, egregie reformati sunt, nec singuli tantum, sed saepe integra Cœnobia.

Cons-

Complures etiam in seculo ipso cum ita vitis addicti essent, ut nullo modo neque cohortationibus, neque concionibus auelli possent, hoc uno sese cōuerterunt, & ad meliorem vitam constanter duendam reuocarunt. Denique negari non potest, quin valde magnus fructus in omni hominum genere, & statu, & conditione effectus sit, & ubi eorum usus magis viget, ibi etiam multo maior morum reformatio cernitur.

Nec debet aliquis mirari quod tanti effectus consequantur & quidem non admodum longo tempore; addo etiam, non adeo magno labore. Nam cum Dei voluntas sit sanctificatio nostra, ut ait Apostolus, & ideo bonitas illa immensa semper parata sit sua dona effundere super creaturam suam, sine dubio, si ipsa met non poneret impedimentum, sed potius seipsam disponderet, facile, ac breui magnas à Deo gratias cōsequeretur. Hoc igitur faciunt hæc exercitia, & sane valde efficaciter, ut animam dispo-

A s            nant,

nant ad hac dona accipienda. Primum enim remouent eam ab omni aliarum rerum, ac negotiorum occupatione, & quasi ad solitudinem quandam ducunt, ut & Deus ad eius cor loquatur, & ipsa faciat quod dicitur in Psalm. Vacate, & videte quoniam ego sum Deus. Deinde vero, posito statim ante oculos ultimo hominis fine, nempe aeterna beatitudine ostendunt primum quantum haecenus aberrauerit, & ita peccatorum dolore, & odium ingenerant, deinde virtutum pulchritudinem aperiunt, & Christi Domini exemplo ad eius imitationem accendunt. Denique etiam modum tradunt totius vitae ex Dei regula, ac voluntate reformanda, sine status ipse mutandus sit, sine non mutandus, verum in melius corrigendus.

CVM ergo horum exercitiorum tanta sint utilitates, tantique fructus, facile apparet, quam eorum usus nostris omnibus commendatus esse debeat, si praesertim illud addamus, quod cum humilitate cognoscere possumus, & certe e-

tiane

tiam debemus, hoc totum quodcunque est, nempe peculiarem hanc instructionem, ac modum meditandi, & peculiaria hæc documenta tam utilia, tamque solida, esse præclarum quoddam donum, ac munus à Deo datum Societati nostræ. Quare cum id Deus nobis donarit, & ideo donarit, ut uteremur, non est dubium quin hoc ipsum excitare omnes debeat, ut avidius utamur, nec talem thesaurum absconditum, & quasi defossam inutiliter teneamus.

Verum quam utilis est hic exercitiorum usus, quem dicimus, tam etiam est necessarium aliquam methodum habere in iis tradendis: tum quia non omnes eandem peritiam, aut dexteritatem habere possunt, tum quia non omnia hoc exercitiorum spiritualium libro comprehendere potuerant, & ideo sunt in eo aliqua paulo obscuriora, quod ad praxim attinet, tum denique etiam, ut seruetur à nostris omnibus uniformitas, & non suo quisque ingenio, & placito ex-



exercitia interpretetur, ex qua noui, ac  
uarij subinde modi introducerentur.  
Has igitur ob causas Congregatio pri-  
ma generalis inter alia, qua necessaria  
iudicauit ad proximos inuandos, & no-  
stros operarios dirigendos, hoc etiam  
constituit tit. 6. decret. 28. ut confice-  
retur Directorium tradendorum exer-  
citorū, eiusq; rei curam Generali Præ-  
posito commendauit. In quo cum aliqui  
Patres diligēter laborassent, vel pro sua  
denotione, vel Superiorum iussu, visum  
est P. N. Claudio Acquauina, tum hūc  
eorum laborē, tum etiā quæ nonnulli alij  
adumbrauerant, quibusdam antiquio-  
ribus Patrib. in Societate mittere, ut ea  
viderent, et iudiciū de iis ferrent, et præ-  
terea si quid occurreret, quod addi pos-  
set, id scriptis mandarent. Ex quorum  
omnium sentētiis, ac iudiciis ea quæ ad  
nostrum propositum accōmodatiora vi-  
sa sunt, in hoc Directorium selecta, &  
suis locis digesta sunt, ad Dei Domini  
gloriam, & Societatis nostræ, proximo-  
rumque spiritualem profectum.